

res tamen ad philavtiam pravam redit, quæ suadet & efficit, ut ejusmodi diæteria & excusationes veteris Adami homo non solum recipiat, sed & iis utatur.

§. V.

Sedes.

Dum itaque philavtia prava quam maxime efficit, ut homo ductum horum præjudiciorum practicum sequatur, & voluntatem efficaciter movet, ut bonum respuat, malum amplectatur, & in bonum apparens pro vero feratur, merito voluntatem, uti philavtiæ, sic præjudiciorum practicum, sedem esse agnoscimus. Interim intellectus hinc non plane erit excludendus. Eatenus enim præjudicia practica ad Intellectum pertinent, quatenus ut propositiones vel Ideæ falsæ & erronei conceptus intellectu continentur; quatenus vero voluntas nostra ea præjudicia practica approbat, tenet ac defendit, eaque ad praxin vitæ humanæ applicat, & secundum ea intellectum quasi determinat atque cogit, ut hoc vel illo modo & non nisi secundum præjudicia concepta operetur; eatenus utique sedes eorum in voluntate recte quæritur.

§. VI.

Modus operandi.

Operæ vero pretium est, ut paulo accuratius investigemus, quomodo philavtia in præjudicia, præjudicia vero in praxin Christianismi influant; quo & noxæ & impedimenta vitæ Christianæ, quæ alias hisce præjudiciis practicis adscribi solent, eo facilius perspicui & cognosci queant. Hoc vero ut rite præstetur, ante omnia ipsa philavtia prava spectanda venit, quæ vox nihil aliud est quam peculiare nomen, quod operationi corruptæ voluntatis assignatur. Cumque voluntas naturaliter unice afficiatur, in hoc quidem statu corrupto, ab eo, quod carni cujusque hominis propriæ bonum videtur, & in bono appetendo semper nitatur principiis carnis (voluntas enim nihil nisi sub ratione boni appetit;) hinc hæc corrupta & irregularis inclinatio voluntatis, quæ nititur principiis carnis, philavtia prava dicitur.